



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

LXXI. De vitanda murmuratione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

diter consideramus, vt a paschali festiuitate vsque ad omnium sanctorum solennitatem vnicuique vna camisia lineata tantum, non ex debito, sed sola gratia detur, illi dico qui ea vti voluerit: alio autem tempore generaliter omnes camisias laneas habeant.

## LXX.

*Quot & quales panni in lecto sint necessarii.*

Singulorum quidem, non aliter, per singula lecta dormientium dormire nisi permaxima causa vel necessitas euenerit, communi consilio collaudamus. Lectualia vel lectisternia moderata dispensatione magistri vnusquisque habeat: credimus enim potius faccum, culcitram, & cooperitorium vnicuique sufficere. Qui vero ex his vno carebit, carpitam habeat, & in omni tempore tegmine lineo, id est veluso, frui bene licebit: vestiti autem camisiis dormiant, & cum femoralibus semper dormiant. Dormientibus itaque fratribus, iugiter vsque mane nunquam desit lucerna.

## LXXI.

*De vitanda murmuratione.*

Æmulationes inuidas, liuorem, murmur, susurrationes, detractiones, diuina admonitione vitare, & quasi quamdam pestem fugere vobis præcipimus. Studeat igitur vnusquisque vigilante animo, ne fratrem suum clam culpet aut reprehendat, sed illud Apostoli studiose secum animaduertat: *Ne sis criminator, nec susurro in populo.* Cum autem fratrem liquido aliquid peccasse agnouerit, pacifice & fraterna pietate, iuxta Domini præceptum, inter se & illum solum corripiat: & si eum non audierit, alium fratrem adhibeat; sed si vtrumque contempserit, in conuentu publice obiurgetur coram omnibus. Magnæ enim cæcitatibus sunt qui aliis detrahunt: & nimix infelicitatis sunt qui se a liuore minime custodiunt; vnde in antiquam versuti hostis nequitiam demerguntur.

*Lenit. 19.*

## LXXII.

*Vt omnium mulierum fugiantur oscula.*

Periculofum esse credimus omni religioso vultum mu-